

Bibliothèque numérique

medic@

**Besnard, Jean-Auguste - candidat /
Dideron, François-Gaspard -
président. - An Vulneribus ex
Catapulsis globulos plumbeos
relinquere aliquando praestat ?**

1790.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°186***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0186



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIU Santé
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-nonâ
mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXX.

M^o. FRANCISCO GASPARDO DIDERON, Doctore Medico, Præside.

An Vulneribus ex Catapulis globulos plumbeos relinquere aliquando præstat ?

I.

AD vitam unus tantum patet ingressus ad mortem innumeri; ut illam doloribus auspicamur, sic ab eâ ejicimur laborum vi: undique mala circumstrepunt; uique bellum & insidiæ. Mundus in solius hominis utilitatem factus, videtur odio in ipsum plenus. Hyems scelerato frigore necat. Ver infinito mor-

A

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

borum numero de medio tollit: Ætas immodicâ siccitate, vitæ principia depopulatur. Autumnus cum fructibus, ut par sit mensura malorum, morbos creat atrocissimos, qui mortales plerumque ex viventium numero expungunt: Ast non satis est ut natura per se sit adeo malorum ferax, acuitur ferrum, temperantur venena, accenditur flamma, ut corporis & animæ dirimatur societas. Hinc innumera armorum species, si ex ligno tantum, ut fustes & clavæ herculeæ, contundentes; si ex ferro simul & ligno, enses scilicet, gladii, sagittæ, tela, lanceolæ, non solum carnes sed & venas, arterias, tendines, membranasque secant, læduntque; si ex ære, ferro & igne ut sclopeti, catapultæ, tormenta bellica, non solum contundunt ac dividunt, sed partes dilacerantur, earum substantia consumitur, gangrænâ & sphacelo pereunt, undè vulnèra & plagæ omnis generis sobolescent, quibus solidorum ordo fluidorumque mixtio penitus turbatur.

I I.

CORPUS humanum nihil aliud est quàm congeries indefinitorum canaliculorum, tubulorum, vasculorum, fluida varii generis corpuscula transmittentium; si aliquid grave supra incidat ad idipsum collidat, continuitatem solvat citrà deperditionem manifestam substantiæ aut externam rupturam, in parte carneâ cruor colligatur sub cute, venæ exiguæ rumpantur, est tantum contusio; si in eadem parte fiat solutio continuit ab instrumento secante aut pungente cum violentiâ, vulnus simplex audit; si à violentiâ quâdam extrinsecus in os adveniat, fractura; si plaga sit cutis, carnis, venarum, arteriarum; nervorum vi ignis impressâ, humidum radicale illicò exsiccat, caro, venæ, arteriæ, nervi, contrahuntur, in escharam siccantur: tunc corpus fit impurum, pravis humoribus refertum, his ad partem affectam confluentibus vulnus sorpescit, caro contusa putrescit; nativus calor destruitur & gliscente serpenteque contagio partes vicinæ infestantur, necnon facillè in gangrænâ degenorant, nisi citò adhibeantur remedia

I I I.

MAGNO vibratur impetu globulus plumbeus cutemque attingit? statim partes istæ, nervi, tendines, fibræ atque varii tubuli variè dirumpuntur; tum contusione & attritu maximam concipiunt inflammationem & putredinem, inde vulnus complicatum, quod fit ex ictûs vehementiâ multarumque partium, præ

ferim nervearum divortio ; hinc statim fiunt stagnationes , coagulationes , fiunt nova concreta , variae oriuntur excrescentiae , quibus accedunt interdum aëris ambientis intemperies , ut coelum Austrinum , corporis Cacoehymia , fragmenta ferrea , flocci , tomenta , vestimentorum frustula , pulveris pyrii portio quaedam ignescens & similia , quae rapide in corpus trusa dolores excitant fluxiones movent. Erethismum partibus solidis creant , unde impeditur earum coalitus.

I V

PLUMBUM metallum est constans ex sulphure indigesto , sale aluminoso , ac mercurio naturam antimoniam æmulante ; refrigerat , astringit , incrassat , vulnera carnibus implet , cicatricem obducit , vulneribus cancris & putredinosis convenit virtute sua exsiccante , demulcet & discutit humores , dulcedine nativâ mitigat ; globuli plumbei nec partibus solidis Erethismum creant , nec fluidis acorem inducunt , partium divisarum unionem non impediunt , nec putredinem pariunt : imò sunt veluti sapo ad abstergendas sordes. Si globuli plumbei tuto eximi non possint , neque pressu nervo dolorem moveant , nec in venam vel arteriam impingant , nec in sinum aliquem devolvendo suo pondere sint parati , intus latere sinas. Num vi naturæ eorum ejectionem relinquere nefas ? si ad cutem regeruntur , si in vacuo ventris delitescunt , si inter musculos in membrana adiposâ interdum nidulantur , non se foverè impunè globulum in sinu prestat quàm periculosè eximere.

V.

GLOBULI plumbei parti cuidam periculosè hærescunt , omni ratione moveantur è loco ; pulsu , pressu , frictu , concussionem , extractionem facili ; si horum nullâ ope ejici possint , nec impunè servari , extrahantur , quâ viâ ? eâ quam contraaperturam vocant. Ergò , inquires , non servandi globuli. Imò servandus æger. Melius est cum periculo dubium tentare quàm inconsultò expectare ineluctabile fatum. Vulnus angustum dilatetur , si non longè distent globuli à cute , parte oppositâ extrahe specillo , si ossibus hæreant , terrebellis , si in carne consistant , ad eos eximendos conveniunt forcipes cannulatæ , quæ formam exhibent rostri anserini , simulque corvini , si longius distent , tenues oblongæ in modum rostri gruini effictæ , quæ sint rectæ vel incurvæ ; si sint depressi , denticulatæ seu colubrinæ. At hæc fiunt comodo ? Consilioque manuque. Intelligen-

4

tiam quæris ? Medici vexilla sub sequere. Manum ? actibus repetitis & exercitio
acquiretur dexteritas. Objicient iterum adagium commune, extranea eximenda
ne noceant : at plumbum innocuum mille exemplis testatur experientia.

Ergo vulneribus ex Catapultis globulos plumbeos relinquere aliquando præstat.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>M. Nicolaus - Franciscus LA-</i>	<i>M. Joannes-Nicolaus CORVI-</i>	<i>M. Paulus Gabriel LE PREUX.</i>
<i>VERNE.</i>	<i>SART-DESMARETS.</i>	
<i>M. Petrus PUJO.</i>	<i>M. Jacobus de VENZEL.</i>	<i>M. Ludovicus Gaudius GUIL-</i>
		<i>BERT.</i>
<i>M. Antonius-Josephus-Victor</i>	<i>M. Petrus DUFRENAY.</i>	<i>M. Edmund-Claudius BOUVRU.</i>
<i>LENDORMY-LAUCOUR.</i>		

Proponebat Parisiis, JOANNES-AUGUSTUS BESNARD, Andegavensis ;
Doctor Medicus, Andegavensis, Necnon saluberrimæ Facultatis Medicinæ
Baccalaureus.

Typis QUILLAV, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1790.

